


Georgio Thilo
amico carissimo
in gratam sui memoriam
hunc libellum lubens
offert
Joannes Vahlen.

Bonnae, x. aug. LII.

QUAESTIONES ENNIANAE CRITICAE.

DISSERTATIO.

SCRIPSIT

ET

SUMMORUM IN PHILOSOPHIA HONORUM
AUCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA
RITE OBTINENDORUM CAUSSA

UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE XI. MENSIS AUGUSTI A. CIƆIƆCCCLII.

PUBLICE DEFENDET

IOANNES VAHLEN
SEMINARII REGII PHILOLOGICI SENIOR.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

IOANNES BRANDIS, SEM. PHILOL. SOD. ORD.
PAULUS GRAUTOFF, SEM. PHILOL. SOD. ORD.
HUGO ILBERG, PHILOS. DR.

BONNAE
FORMIS CAROLI GEORGII.
MDCCCLII.

PROLEGOMENON

CAPVT I.

De emendandis Annalium fragmentis.

In Ennii Annalium fragmentis conquirendis et illustrandis praecipue duo viri olim elaborarunt Hieronymus Columna, Neapolitanus, et Paulus Merula, ICtus Batavus. Quorum ille, cuius editio a. cIↄIↄxc. prodiit, cum omnino in explicatione fragmentorum versaretur, tum inprimis multitudine exemplorum quantum tam sententiarum quam locutionum et formarum Graecis deberet Ennius, Ennio posteriores poetae Romani comprobavit. Merula contra, qui suum Ennii librum non ita multo post Columnam emisit a. cIↄIↄxcv., emendare potius quam explicare reliquias et e disiectis et truncatis fere membris totius corporis speciem quandam reparare aggressus est. Sed pro mira quadam quae in hoc homine fuit corrigendi temeritate mutavit multa, perpauca emendavit; in dispositione autem fragmentorum fidem fere excedit, quam multa ille improbabilia ineptaque et absurda iecerit potius quam coniecerit, levi sua nova proferendi cupiditate ductus, qua ne a fraude quidem abstinuit, nimirum ille, qui ipse suam animi sinceritatem verbis extollit in praefatione.

Atque hae unicae sunt, si ab Henrici Stephani Corpore Poetarum Latinorum recedis, Ennii Annalium editiones; nam quae circumferuntur praeterea non sunt illae quidem editorum propriae. Etenim a. cIↄIↄccvii. Franciscus Hesse-

lius ICtus Columnae editionem quae iam rarescere inciperet denuo submittendam prelo curavit, qui nec addidit de suis nec mutavit quidquam, quod ad rem pertineat: formam mutavit externam: nisi quod auctus est hic liber cum variorum in Ennium coniecturis et emendationibus tum indice verborum. Atque eandem operam quam Columnae Hesselius Merulae rursus ICtus (crederes enim ICtos sibi Ennium vindicasse) adhibuit. Lucem vidit haec editio Lipsiae a. cIↄIↄcccxxv. In qua versus leguntur fere, quales Merula constituit, abstersa tantum prodigiosa qua ille usus fuit orthographiae specie; quamquam potuit hic editor non pauca a Merula peccata corrigere, modo libros evolvere viro bono libuisset; sed voluit summam operam suam in disponendis fragmentis positam esse. In qua re cum temeritate tum stupore mirum quantum magistrum superavit assecla. Qui scilicet praestitit, quod si iustis rationibus praestitisset, esset profecto quod nobis gratularemur: exceptis enim minutulis quibusdam fragmentis, quorum pars ne est quidem ex Annalibus desumpta, singulos versus in certa sede collocavit. Quasi hoc vel tantilli esset ingenii, si quidem quemadmodum iste absurdissima quaeque ingenioso poetae obtrudere et quae ne umbra quidem probabilitatis nituntur admittere non erubescis. Quo magis mirum est, quod post editorem Lipsiensem nemo ad Annalium fragmenta perpolienda et disponenda accessit. Quamquam bonae frugis non pauca ad Ennium emaculandum per temporis tractum cum alibi allata sunt, tum maxime in eorum scriptorum, qui huius poetae versibus usi sunt, editionibus.

At hi scriptores multum abest ut omnes iam ita ad fidem manuscriptorum revocati sint, ut et possint plerique et debeant aliquando revocari. Festum quidem post editum ab Henrico Keilio supplementum (vid. nov. mus. Rhen. VI. p. 619. sqq.) habemus, quemadmodum unus huius grammatici codex tradidit lacinias. Ut iam omnis eius emendatio nitatur coniectura. Sed idem ne in Varronis quidem libros de lingua latina cadit, quorum omnem crisim notum est in codice Florentino positam esse. Notitia enim huius libri pendet a col-

latione Petri Victorii, quem abfuisse ab ea quam hodie poscimus manuscriptorum excutiendorum diligentia cum consentaneum fuerit pro more illius aetatis, tum intellectum est nuper ab Henrico Keilio, qui cum bono fructu ut comperi denuo illum librum pertractavit. Ac Florentinum quoque nemo ignorat miris modis antiquitatis vitio dehonestatum esse. Sed ingenio in hoc opere Varronis et sunt multa egregie emendata et possunt non pauca sat certo etiamnum emendari. Velut versus Ennii corruptissimus, quem VII, 48. M. Florentinus ita exhibuit *Apud Ennium: quaeque in corpore causa ceruleo felo orta nare ceptat*, certissima mihi coniectura ab Odofredo Müllero restitutus videtur in hunc modum *quae cava corpore caeruleo cortina receptat.* Etenim a *cava cortina* vocabulis ipsius Varronis, quam versui subiecit, explicatio orditur. Ut haec verba Enniana esse appareat. Sed in *quaeque in* latere *quae cava* vereor ut Müllerus vel eis persuadeat, qui non anxie singula quaeque in tali re rimanda existiment. Nec tamen corruit hoc nomine coniectura; immo augetur emendationis probabilitas, modo corruptela rectius explicetur. Nempe *causa* perversum est ex *caua*, ut in Ennii versu apud Festum p. 343, 31. M.; quam vocem sede cessisse nec hercle difficile est nec singulare; *quaeque in* autem non distant ab his *quae quem*, quae est *que* voculae dittographia. Quod genus corruptelae nec rarum alibi est et confirmatur certissimis quibusdam ipsius Varronis exemplis a Müllero notatis praefationis p. XXIV. Quae quidem exempla ad relativorum tantum et coniunctionum formas pertinent. Sed latius apud Varronem illud mendum serpsisse uno exemplo probabo, non ob rem ipsam quae levidensis est, sed ut hac opportunitate emendem si potero Ennii versum. Etenim VII, 26. M. haec leguntur *mus ac quas memorant nosce nos esse Casmenarum (Camenarum* Florentinus) *priscum vocabulum ita natum ac scriptum est; alibi Carmenae ab eadem origine sunt declinatae.* Partem versus Enniani (videtur enim Ennianus esse) lacuna absorpsit, orta ut apparet ex homoeoteleuto, quod vocant grammatici, quo nihil est in his libris frequen-

tius. Etenim *Casmenarum* forma Ennii versui debetur, a Varrone ut assolet servata. Quod a Spengelio recte perspectum praefationis p. LX. neglexit cum aliis Adolphus Kochius meus Exercitationum p. 5., cuius non inelegans emendatio hac ratione nequit probari. Sed ut iam dicam, quapropter attuli hunc versum, in his *nosce nos esse* (h. e. nosęe) manifestissimum ego dittographiae exemplum agnosco. Ut non usui sit alterutra corruptela (corruptum enim utrumque) ad emendandum versum quem haud scio an Ennius sic scripserit *musae quas memorant Grai*, *nos Casmenarum* sive mavis *quas Grai memorant.* Sed haec in transcursu.

Pergo ad relicuos, quibus Ennii reliquias debemus, scriptores. Ac tertium nomino eum, qui si cuncta Ennii carmina spectas inter omnes plurima fragmenta servavit, Ciceronem. In quo quamvis multi per diuturnum tempus operam et laborem collocaverint, tamen etiam hodie desideratur librorum Ciceronianorum editio universa, in qua ad manuscriptorum auctoritatem scriptoris verba accurate examinata sint. Nec enim Orellii librum satisfacere huic desiderio sciet qui et novit editionem illam et quid in hoc genere debeat praestari didicit. Nempe parum hoc iuvat scire, quid cuivis ex editorum vulgo scripsisse Ciceronem placuerit, quoniam non ex aliorum potius opinionibus quam e veterum librorum fide pendet iusta crisis. Sed de Cicerone omnia egregia expectanda sunt ab altera editione, quam incohatam ab Orellio absolvendam Carolus Halmius suscepit. Quae cum ita essent, exoptatissime mihi et operae meae fructuosissime per Fridericum Ritschelium, praeceptorem meum insigniter de me meritum factum est, ut cum alia manuscriptorum adiumenta, de quibus infra dicam, in meas manus venirent, tum Carolus Halmius vir praestantissimus ex uberrimis suis ad Ciceronem subsidiis quae ad Ennium pertinerent eximia liberalitate ad me transmitteret. Ea iam singillatim recensebo:

de divinatione: a) *Vindobonensis*, codex philologicus latinus nro. 189. (cf. Endlicheri Index n. LV. p. 26. sq.), quem librum omnium suorum optimum esse Halmius affirmat

programmatis : Zur Handschriftenkunde der Ciceronischen Schriften (Monachii 1850.) p. VII. sq. b) *Erlangensis* sec. XV. cf. Halm. p. 2. sq.

quaestiones Tusculanae: a) *Parisinus* 6332. cuius scripturae discrepantiam Tregderus exhibet in Tusculanarum editione (Hauniae 1841.). cf. Tregderi praef. p. V. sqq. b) *Gudianus* 294. sec. VIIII vel X. post Moserum denuo excussus ab Halmio quem vide p. 7. sq.

quaestiones Academicae: a) *Vindobonensis*, b) *Erlangensis*, quos supra nominavi; c) *Gudianus* 2. sec. XIV. cf. Halm. p. 7.

de natura deorum: a) *Vindobonensis*, b) *Erlangensis*, c) *Gudianus* eidem quos ad Academicas quaestiones nominavi. Gudiani ad hunc librum facta est collatio a Carolo Beiero parum diligenter ut Halmius fatetur p. 7. d) *Palatinus* n. 1519. cf. Halm. p. 17. Codex optimus hodie misere truncatus; qua re factum est ut trium Ennii fragmentorum unum tantum in illo libro legatur.

de officiis: a) *Bambergensis*, signatus M. V. 1. (apud Iaeckium n. 427.) sec. X. notavi cum Halmio p. 1. Bamb. 1. b) *Bambergensis*, M. V. 2. (Iaeck. n. 428.) sec. XI. notavi Bamb. 2., quem ex eodem fonte esse cum Bambergensi primo Halmius testatur l. l. c) *Oehlerianus*, nunc Gissensis sec. XIV. cf. Halm. p. 4. His adieci ex apparatu Orelliano duorum Bernensium antiquissimorum lectiones: d) *Bernensis* n. 514. sec. IX. Orellii *a.* (Bern. a.). e) *Bernensis* n. 391. sec. IX. vel X. Orellii *b.* (Bern. b.).

de finibus bonorum et malorum: a) *Palatinus* n. 1513. sec. XI. vid. Halm. p. 16. sq. (Pal. 1.) b) *Palatinus* n. 1525. sec. XV. cf. Halm. p. 17. (Pal. 2.).

ad Catonem maiorem Alfredus Fleckeisenus ab Halmio mea causa rogatus ex locupleti suo et optimo apparatu quae mihi usui essent excerpta impertivit liberaliter. Sunt autem hi libri:

a) *Parisinus* 6332. sec. IX. idem quem nominavi ad quaestiones Tusculanas. e quo Catonem maiorem post Ber-

gerum et Krarupium (cf. Madvigii opusc. acad. II. p. 287.) denuo contulit Henricus Keilius. b) *Salisburgensis*, nunc cod. Lat. Monacensis 15964. sec. XII. c) *Benedictoburanus*, nunc cod. Lat. Monacensis 4611. sec. XII. d) *Indersdorfensis*, nunc cod. Lat. Monacensis 7809. sec. XIII. de his tribus libris qui inter praestantissimos sunt vide Halmium p. 5. e) *Gudianus* 2. sec. XIII. de quo libro dixi ad quaest. Acad. et libros de nat. deorum. f) *Oehlerianus*, nunc Gissensis sec. XIV. de quo vid. ad off. g) *Bonnensis*, olim Duisburgensis, sec. XIV. *ἀκέφαλος*, incipiens a § 44. cf. Halm. p. 2.

de oratore: a) *Erlangensis* n. 301. partim sec. X., ut videtur, partim sec. XV. scriptus. cf. Halm. p. 3. b) *Abrincensis* sec. X. vel XI. ineuntis. mancus a principio, ut qui a libri II. § 19. de orat. incipiat. post collationem qua usi sunt Orellius et Baiterus, non satis diligenter factam, denuo examinatus a Schneidewino et Leutschio. cf. Halm. p. 12.

oratio pro Murena: a) *Salisburgensis* aulicus, nunc cod. Lat. Monacensis 15734 sec. XV. cf. Halm. p. 5. sq. b) *Helmstadiensis* sec. XV. cf. Halm. p. 8. sq. c) Codicum *Lagomarsinorum* lectiones selectae, a Niebuhrio olim excerptae. cf. Halm. p. 19. d) *Editio vetus* a. CIↃCCCCLXXII., quam Halmius in hac oratione cuius subsidia pravioribus tantum codicibus contineantur manuscripti locum obtinere mecum communicavit.

In *oratione pro Balbo*, cuius subsidia non praesto fuerunt Halmio, adhibui tantum lectionis varietatem potissimi codicis *Parisini* a Madvigio in opusculis academicis alteris p. 55. sq. evulgatam. Ad relicua scripta Ciceronis, quae quidem habent quod ad Ennium pertineat, Halmius nihil novi acquisiverat: praeter duos *scriptoris ad Herennium* libros *Erfurtensem* cf. Halm. p. 2. et *Windbergensem* cf. Halm. p. 6. Ad quem scriptorem quoniam Orellius non integram suorum librorum conlationem exhibuit, praeterea usus sum Baiteri Variis Lectionibus. Turici. 1844.

Ex his igitur quae recensui Ciceronis subsidiis, licet non insigniorum emendationum seges subnata sit, velut in corrupto versu *non enim rumores ponebat ante salutem* optimi

quique et antiquissimi Officiorum et Catonis Maioris libri consentiunt, tamen praeter leviores nonnullas sive ipsarum vocum sive orthographiae correctiones, quas enumerare mihi nunc longum est, non paucis locis iudicio iam certius paratum est fundamentum; quo confidentius reiicias editorum hariolationes. Neque haec ad Ennianos tantum versus pertinent: immo ipsa Ciceronis quibus versus afferuntur verba licebat subinde emendatiora afferre: tam plene Halmius enotaverat codicum discrepantiam. in quibus quacunque discessi ab Orellio quam brevissime potui semper significavi.

Tantum de Cicerone. Transeo temporis ordine neglecto ad Priscianum et Gellium, quorum neutrius, quod ante significavi, eae editiones hodie extant quibus in opera qualis haec est cum fide nitaris. Atque in hac parte benevolentissime adiuvit me is a quo non ita multo post ut spero iustae horum duorum grammaticorum editiones emittentur, Martinus Hertzius.

Ac Prisciani quidem libri, e quibus enotatam ad Ennii fragmenta scripturae discrepantiam habeo, hi sunt: a) *Gruterianus* sive Lugdunensis Batavus, Prisciani artem integram complectens. b) *Sangallensis*, truncatus circa medium librum XVII. c) *Regius Parisinus*. d) *Bernensis* (Bongarsianus). e) *Halberstadiensis* h. e. Lutherianus Krehlii, quorum Regius et Bernensis integram artem, Halberstadiensis Priscianum tantum maiorem continent. De quorum librorum aetate et indole vide: Monatsberichte der Academie der Wissenschaften. 4. Nov. 1847. p. 16. sqq.

Gellii codices hi sunt:

ad N. A. libb. I—VII. a) *Vaticanus* 3452. b) *Parisinus* 5765. c) *Rottendorfianus*, in quibus libris VII. librum sequitur VI., in Rottendorfiano liber VI. desideratur, ut qui non ultra VII, 20. pergat; Parisinus desinit in VI, 3. Quod monui propter duo Ennii fragmenta, quae apud Gellium VI, 6, 6. et VI, 6, 9. leguntur. in quibus propter illorum codicum defectum iuniorum quorundam scripturas Hertzius mecum communicavit.

ad N. A. VIIII—XX. a) *Regius* 8664. b) *Lugdunensis* (Vossianus maior Gron.). c) *Bernense* fragmentum usque ad medium librum XII. pertinens. d) *Petavianus* (Gronovii = Cod. Reginae II in Vat. 1646.). e) *Vossianus* (minor Gronov.) f) *Magliabecchianus* (Florentinus). de quibus libris omnibus vide Hertzium l. l. p. 9 sqq.

Sed de Gellio quoniam dixi non possum, quin versus quosdam Ennii luculentissimos partim manuscriptorum ope partim coniectura nunc emendatiores hic proponam. Etenim eius fragmenti quod Gellius servavit XII, 4, 4. versus qui ultimi sunt, a Gronovio sic exhibentur:

Suavis homo, facundus, suo contentus, beatus,
Scitus, secunda loquens in tempore, commodus, verbum
Paucum, multa tenens antiqua sepulta, vetustas
Quae facit, et mores veteresque novosque tenentem.
Multarum veterum legum Divumque hominumque
Prudentem; qui dicta loquive tacereve posset.
Hunc inter pugnas compellat Servilius sic.

Quae priusquam refingam ut Ennius scripsisse videatur, librorum discrepantiam omnem inde a v. 3. hic apponam: v. 3. paucorum *libri.* v. 5. multorum veterum leges *libri* divum *Petav.* v. 6. loquiue tacereve] *sic Bern.* loquiue tacere *Lugdun.* loquiue tacereque *Voss. Petav. Magliab.* possi^{t} *Voss.* ad proxima de quibus infra dicam mitto nunc librorum scripturas notare. Ac primum optime se habet *dicta,* pro quo cum Columna et Merula tum editor Gellii novissimus *multa* exhibent. Sed *multorum veterum leges* quoniam ad *prudentem* referri non posse intelligebant, rudiore manu quidam *multarum veterum legum* scripserunt. Qua correctione vereor ne quae sana et integra sunt corrupta evadant: nempe probus est accusativus suspensus ille ex *tenentem* participio. Contra labecula insidet *prudentem* voci, quam sic tollendam arbitror *prudenter qui dicta loquive tacereve possit.* Quae coniungenda sunt. At parum concinne illa fluunt *vetustas quae facit et mores veteresque novosque tenentem.* De quibus quid alii excogitarint mitto. Sententiam unus perspexit Gronovius pater, qui ea sic emen-

datum ivit *vetustas Quem facit et.* in quibus tamen nec *et* video quo apte referatur nec placet admodum *facit* praesens. Immo perpolientur demum hoc modo si quid video verba *vetustas Quem fecit mores.* Ut iam versuum hic sensus ac tenor prodierit:

commodus, verbum
Paucum, multa tenens antiqua sepulta, vetustas
Quem fecit mores veteresque novosque tenentem,
Multorum veterum leges divomque hominumque;
Prudenter qui dicta loquive tacereve posset.

Vetustatem ut hoc addam senilem aetatem dicit poeta, ut Ovidius Trist. V, 2, 11. *annosa vetustas* et simillima sententia Cicero in oratione pro domo 237, a *peritiores vetustas fecit.* de asyndeto autem duplici quod est in his verbis, memineris in deliciis habuisse hanc figuram priscae aetatis scriptores omnes. cf. Lachmannus in Lucretio II, 118.

His quos dixi scriptoribus proximus est Ennianarum reliquiarum copia Macrobius. Cuius editio critica parata et publicata ex parte est ab Ludovico Iano. Prodiit enim tomus prior Quedlingburgi et Lipsiae a. cIↃIↃCCCXLVIII; alter qui refertissima Ennii fragmentis Saturnalia complectitur, prelum quidem pridem reliquit, sed nondum emissus est in publicum. Interim eius usum mihi editor a Ritschelio mea causa rogatus impertivit libenter. Atque ille praeter integram manuscriptorum quibus usus est scripturam, editiones quoque vetustas excussit quam plurimas. Quod quamvis cum fructu Macrobii factum sit, ego codicum tantum scripturas, ne inutiliter lectionum moles cresceret, transtuli in Ennium. Libri autem hi sunt, quos infra scripsi: a) *Anglicus* h. e. Cantabrigiensis, A. 130. b) *Parisinus* 6371. c) *Salisburgensis* aulicus 38, nunc Monacensis. d) *Mediceus* Cod. VIII, plut. LI. e) *Neapolitanus* Borbon. CCCIV., e quo veterum poetarum fragmenta Henricus Keilius excerpsit.

Denique huic meae qualicunque operae deesse qua est eximia in me benevolentia noluit praeceptor meus dilectissi-

mus L u d o v i c u s S c h o p e n u s, qui ad Ennii versus a D o n a t o Terentii interprete servatos cum vetustarum editionum *Romanae*, *Venetae* (ex officina Vindelini Spirensis) et *Mediolanensis* tum codicum duorum Parisinorum scripturas, quousque pertinebant (nec enim integrum Donatum complectuntur), mecum communicavit. Quorum codicum alter est *Danielis* sec. XI. alter *Regius* sec. XV.

Relicuorum grammaticorum qui Enniana prodiderunt, vulgatis tantum editionibus, qua par fuit diligentia, usus sum: quas hic recensere nil attinet: nisi quod ad unius N o n i i aliquos locos mutili codicis *Bambergensis* scripturas ab Halmio accepi. Cuius libri fide uni versui videor integritatem restituere suam, ei quo Nonius p. 472, 7. utitur *viri a validis viribus luctant.* Ita enim relicui libri in qua corruptela spreverunt editores interpositam inter *viri* et *validis* *a* litteram. Cuius origo perspicitur e Bambergensi plenissime; ut qui sic versum exhibeat *varia validis viribus luctant.* Recte illud, nec dubito quin Ennianus sit hic versus *Fortuna varia validis cum viribus luctant.*

Sed quoniam semel Nonium memoravi insigniorem aliquam quam in hoc grammatico depravatissimo feci emendationem hic proponam. Haec enim ille p. 370, 20.: *Passum, extensum, patens; unde et passum dicimus, quod gressibus mutuis pedes patescunt. Ennius Annalium lib. X. aegro corde, comis, passis late palmis pater. passis ait palmis, patentibus et extensis.* Ac corruptus est quod nemo sanus dubitabit versus Ennianus. De quo ingeniosa est Merulae coniectura *aegro corde comas passis palmis lacerantes.* Quem tamen nollem Nonio tantum confisum esse, *passis palmis* voces coniungenti. Neglegentiae enim, ut puto, Nonium arguit *comis* vocabulum quod sanum ac coniungendum videtur cum *passis.* Sed in proximis haeret corruptela; atque in *pater* latere *pectora* suspicor; e LATE autem VAE particulam elicio. Ut iam dispiciatur verborum sententia: *aegro Corde comis passis vae palmis pectora.* Similes enim Ennius depingit, quales apud Vergilium illae Aen. I, 479:

Interea ad templum non aequae Palladis ibant
Crinibus Iliades passis, peplumque ferebant
Suppliciter tristes et tunsae pectora palmis.

At restat scrupulus in versu: nam ut Nonio non iniuria illa versus laudandi ineptia tribuatur, tamen in tanta transponendi proclivitate malim hunc integrum hexametrum *aegro corde, comis passis, vae pectora palmis.*

Atque nota quidem illa memorabilis qua nitor Nonii neglegentia: quam hic exemplo illustrare quid vetat? Etenim p. 106, 28. haec leguntur: *Equitem pro equo. Virg. Georgicorum lib. III: atque equitem docuere sub armis insultare solo, et gressus glomerare superbos. Ennius Annali lib. VII: an non quadrupedes equites.* Quae Nonius surripuit, quoniam dissimulat, Gellio, qui XVIII, 5. de *eques* voce posita pro *equo* disserens versus affert et Vergilianum et Ennianum. Pergit deinceps: *Tum Iulianus egrediens e theatro: Quid vobis, inquit, de hoc anagnosta et de quadrupede equo videtur? Sic enim profecto legit: Denique vi magna quadrupes equus atque elephanti Proiiciunt sese. ecquid putatis, si magistrum praelectoremque habuisset alicuius aeris, quadrupes equus dicturum fuisse, ac non quadrupes eques? quod ab Ennio ita scriptum relictumque esse nemo unus literarum veterum diligens dubitavit.* Atque haec posteaquam Nonius legit festinanter verba *ac non quadrupes eques* ut quae Enniana esse arbitraretur in compendium suum transtulit. nec enim dubium est quin quod Basilienses exhibent *an non quadrupedes equites* ex hoc Gellii loco emendandum sit, id quod Rothium intellexisse video, qui quidem *ac* tantum reponi pro *an* iussit Gellio conlato. Itaque demendum est fragmentum post Columnam et Merulam ab editore Lipsiensi exhibitum p. 93.

His addam observationes quasdam et coniecturas quae ut longiorem quam pro notis criticis expositionem exposcunt, ita fortasse ad linguae latinae scientiam fructum aliquem habebunt.

Exordiar a versu quem Nonius p. 134, 13 tradit: *Licitari, congredi, pugnare. Ennius: pars ludicre saxa iactant*

inter se licitantur. Columna transponendo *iactant saxa* hexametrum efformavit. Merula contra hoc monstrum versus concoquere potuit *pars ludicre iactant saxa inter se licitantur.* Sed quid mutatione opus est, cum integer sit versus trochaicus hac mensura *pars lúdicre Sáxa iactant ínter se licitantur.* Ut nihil egerit Bothius P. S. V, 2. p. 8. scribendo *pars saxa iactant ludicre inter se licitantur.* Qui quidem ipse suum errorem postea correxit in Naekii Welckerique museo Rhenano V, 268. Immo ne littera quidem mutata versus aut est hexameter quod credo aut potest esse. *ludicre* enim neutrum adiectivi tertiae declinationis est pro adverbio positum; cuius quidem adiectivi mentio apud unum quod sciam Priscianum VII, 15, 73. p. 787. P. extat, haud spernenda, me iudice; quamquam Ruddimannus I. p. 14. n. 74. non multum tribuere huic testimonio videtur. Dicit autem Priscianus haec: *Si in i vel tam in e quam in i extat ablativus, correpta i et addita a fit nominativus pluralis, ut ab hoc mari haec maria — —. Excipitur a vetere vel veteri, quod vetera non veteria facit. Nec non ab hoc ludicri, quod ludicra non ludicria facit.* Itaque versus sic dimetiendus est *pars ludicre saxa Iactant inter se licitantur.* ac posterioris mensura non deterior est opinor hoc versu: *miscent inter sese inimicitiam agitantes.*

Non uno nomine memorabilis glossa est apud Festum p. 286, 28.

'Rigido
. . . . *Ennius locatus videtur*
. . . . *li. est enim a manis no-*
. . . . *re usus est et L. II.*
. . . . *i caerula prata'*, *cae-*
. . . . *et alibi: 'Inde Parum,*
. . . . *ulabant'*, *Parum insulam*
refert. Item: 'Unum surum surus ferre tamen defendere possunt, suri autem sunt rustes, et hypocoristicos surculi.

De his laciniis ipsis mitto quaerere; de solo versu postremo nunc dicam. Quo quidem idem Festus utitur p. 297, 34.

Surum dicebant , ex quo [per demi -]
[nutionem surculus fac] - tum est. Plau-
[tus in] . . . . . . [surus] non est tibi.
[surum dicebant pal]um , item : nam qui -
. . . . cus surculis ,
. . . . m , tum poli-
[ebant] . . . . aut asulae
. . . . rus surum
. . . . re possent.

ubi Paulus quidem: *Surum dicebant, ex quo per diminutionem fit surculus. Ennius: Unus surus surum ferret tamen defendere possent.*

Merulam credo sua commenta nemini nisi editori Lipsiensi persuasisse. Nec Muellerum probo, qui dubitanter quidem haec scripsisse Ennium suspicatur *in unum Surum ad surum ferte tamen defendere possent*, nimirum memor Aesopicae cuiusdam fabulae, 'qua senex fasciculo fustium soluto, singulisque fractis concordiae virtutem demonstravit'. Etenim parum rationem perspicio qua in Annalibus maxime locum habuerit haec narratiuncula, cui ne sunt quidem illa verba qualia Muellerus constituit accomodata. Vide igitur, num probabilius quid ipsi excogitaverimus. Coniicio enim Ennium scripsisse *unum in Sorum suros ferre, ita enim defendere possunt*. *ita enim* coalescere in *tamen* facile fuit, quoniam compendio antiquitus *en* scribebant pro *enim*. cf. Muellerus Praef. in Varr. p. XXVI. Sententia haud obscura: suros enim palos dicit Ennius qui *crebrisurum*, quod Festus Pauli p. 59. testatur, usurpavit de vallo crebris palis munito. Sed sorum h. e. *σωρόν* intuli, quamquam nusquam obviam factum est mihi perlustranti libros e quibus licet subinde priscae aetatis fragmen aliquod expiscari. At in promptu est analogia cum Ennii tum Lucilii, cuius non paucos versus restitutis graecis vocibus emendavit Lachmannus. In Annalibus autem Ennii haec graecorum vocabulorum exempla extant:
termo = *τέρμων*. Festus p. 363, 23. M. cf. Enn. ed. Lips. p. 97. et 99.

agea = ἀγυῖα in hoc versu *multa foro ponit et agea longa repletur*, de quo infra plura dicam.

bradus = βραδύς. Festus p.278, 3. M. cf. ed. Lips. p. 161.

Atque his quidem vocabulis, si lexicis fides est, nec ante Ennium quisquam nec post eum usus est. Ab Ennio primo ut videtur usurpata, sed post multorum usu frequentata haec sunt:

spira = σπεῖρα. Festus p. 330, 20. M. cf. ed. Lips. p. 171.

aetra = αἴθρη. Macrob. Sat. VI, 4, 19. Jani. cf. ed. Lips. p. 165.

Huperion = ὑπερίων. Priscianus V, 8, 44. p. 658 P. cf. ed. Lips. p. 140.

lucnus = λύχνος. Macrob. Sat. VI, 4, 18. Jani. cf. ed. Lips. p. 132.

sibunum = σιβύνη. Festus Pauli p. 336 M. cf. ed. Lips. p. 111.

sagus = σάγος. Nonius p. 223, 29. cf. ed. Lips. p. 75.

Haec igitur vocabula omnia ab Ennio primo in sermonem latinum inlata esse credam, dum ante Ennium in usu fuisse exemplis edocebor. Occurrunt alia velut *pausa*, *macaera*, quae Ennio antiquiora videntur, quippe a Plauto usurpata.

Addo observationem de *d* paragogico quod vocant, quo Ennius non dubium est quin usus sit in Epicharmi versu *nam videbar somniare med ego esse mortuum.* Hoc enim valet *me et*, quod in libris est apud Ciceronem quaest. Acad. II, 16, 51. Sed eandem litteram Odofredus Muellerus de coniectura in Annales intulit, quem ego non sequar. Festus enim p. 206, 12. M. de *petra* voce hoc versu Ennii utitur: *Alte delata ceterisque ingentibus tecta.* Qui corruptus est. Ac Scaliger olim inferto *specus* vocabulo haec coniectabat *Alte elata specus petrisque ingentibus tecta.* Verissime *petrisque* ut ante eum Antonius Augustinus. Qua voce omnino careri non posse diserte Festus docet; de relicuis addubito cum Muellero. nec enim temere inferenda est in Ennium correpta ante litteras *sp* vocalis; qualem correptionem ferrem equidem si ita scriptum in libris esse viderem. Sed quod coniectura inferre non audeo, hoc est quod Vergilio eam non licuisse video. Nam uni exemplo quod librorum fide constat *ponite. spes sibi quisque*, excusatio ab interpunctione parata est, quode dixit Philippus Wagnerus ad Aen. XI, 309. Nec

Ennianum est quod afferat aliquis *auspicio regni stabilitaque scamna solumque*. cf. ed. Lips. p. 24. in libris enim Ciceronis de divin. I, 48, 108. *stabilita*, quod non eget emendatione. Muellerus igitur Ennium scripsisse suspicatur *Alted elata petrisque ingentibus tecta*. Ac vero lenis haec medicina; tamen valde me iudice dubitationi obnoxia. Extat quidem quo Muellerus utitur *facilumed* in Senatus Consulto de Bacchanalibus, quod Ennio vivo ac florente compositum est. Verum alia in publicis monumentis obtinent, scriptorum usu alia probantur. Ut ineptus sit, qui ex illis hodie scriptores temere correctum eat. Et ipsum *d* paragogicum mature cessit e scriptorum consuetudine, quando Plautus *med* et *ted* tantum formas agnoscit. cf. Ritschelii Proleg. in Plauti Trinummum p. XCI. Ac ut paulo plus in hoc genere epico carmini concedendum sit quam comoediae poetis quippe vulgarem usum sectantibus, tamen non prius illud probabo, quam aliam viam emendandi omnem occlusam esse videro. At in promptu est emendatio quam vel per se credo magis commendari. Etenim hoc scripsit poeta *Alte elata iacet petrisque ingentibus tecta*. Corruptionis ratio in propatulo. *ia* enim syllaba absorpta a *ta* fere suapte sponte *cet* cum *petrisque* coaluit in *ceterisque*. *elata* autem adiectivi notione usurpavit Columella quoque II, 4. *modo in elatiora, modo in depressiora clivi agi sulcum oportebit*.

Atque hac observatione de *d* paragogico fere ultro transitus factus est ad g e n u s o r t h o g r a p h i c u m, in quo ipsum Ennium multa novavisse cum credibile est, tum testimoniis quibusdam et indiciis confirmatur; velut illud est, quod Festus p. 293, 29. M. consonantium geminationem ab Ennio in sermonem latinum inlatam esse dicit. Quod quidem congruit omnino cum hoc quod ab Ritschelio accepi, in monumentis Ennio antiquioribus haud comparere iteratam litteram. Qua re fiebat etiam ut syllabarum quarundam prosodia certius definiretur. Itaque ut vel unum afferam *ille* pronomine cum Plautus et correpto et producto uteretur, inde ab Ennio, qui posterior fuit Plauto, nisi producta prima syllaba non fuit in usu. Atque eidem Ennii studio exaequandi cum pronunciatione scripturam, Ritsche-

lius in Indice lect. aest. a. cIↄIↄcccLII p. XVI. tribuit *sis*, *sos* formas pro *suis* *suos* ab Ennio primo ut videtur usurpatos. Nec dubito quin huius generis multo plura confidenter tribui possint Ennio, scilicet excussis aliquando vetustarum inscriptionum thesauris. Nec tamen probaverim si quis aut Ennianam, si dis placet, aut proximae ab Ennio aetatis scribendi consuetudinem hodie resuscitare vellet in Ennio. Immo ego mediam quandam viam secutus sum ita, ut quaedam quae antiquae aetatis esse constat etiam sine libris scriberem constanter, in relicuis vulgarem scribendi rationem sectarer, servatis tamen religiose quaecunque in ipsis libris comparebant antiquitatis vestigiis.

Itaque semper *u* scripsi pro *y*, ut *Olumpum*, *Cuclopis*, alia, pro *i* in superlativorum terminis et in *lacrumans*, pro *e* in gerundiis et participiis futuri passivi, *ferundae*, *potiundi*. *o* posui pro *u* sive vocalis est sive consonans, ut *quom*, *quoius*, *quoi*, *pavòm*, *volis*, *sequontur*. Expuli porro formas quales hae sunt *dii*, *diis*, quoniam antiquitas aut *dei* formam disyllabam aut monosyllabum *di* tantum probavit. Nec magis toleravi de quo hodie non dubitatur genetivum in *ii* desinentem.

Ad consonantes quod attinet, nunquam omisi *s* finale, quia in tanto exemplorum numero nimis raro omissioni favet librorum auctoritas. Pauca omissae litterae exempla, unum Ennii quoque, Lachmannus notavit ad Lucretii librum I, 186. Quibus addo tria, quae ne sunt quidem omnino certa: *magiſ errore* quod pro *magi ferro Rem repetunt* in libris legitur apud Gellium N. A. XX, 10, 4. *magnus Titanum premebat* apud Nonium p. 216, 29. *Titanus* emendavit Krahnerus (de corr. rel. Rom. p. 40.); ac videtur *magnus Titanu premebat* scriptum fuisse. Denique hac ratione corrigere videor versum *contempsit fontes quibus exerugit aquae vis* (Anal. Vindob. p. 173.). Nam *erugo* fuit transitivum, haud secus atque *eructo*. Ut pro *quibus exerugit* addita una litterula scribendum videatur *quibu se exerugit;* quemadmodum Avienus Periegesis v. 345. *Undique se totis eructent flumina terris.* Ceterum *exerugit* versu Enniano perfectum est quod sententia flagitatur. Verum ob

ignoratam huius litterae naturam permutati sunt non pauci cum aliorum tum Ennii versus. Unum Lachmannus citavit ad Lucretii librum VI, 1067. *compellat Servilius sic*, quod Gellius exhibet N. A. XII, 4, 4. Ennius enim non dubium est quin *Servilius sic compellat* scripserit, quidquid obloquitur Vargesius in Naekii Welckerique musco Rhenano III. p. 32. Verum iam pridem perviderat Janus Dousa Lucil. Rel. p. 97, 2. ed. Lugd. a. cIↄIↄxcvii. Similia haec sunt quod apud Ciceronem de divin. I, 20, 40. pro his *vires vitaque corpus meum nunc deserit omne,* in Giesii manuscriptis quibusdam *vires vita meum corpus* exhibetur, id quod ille probavit pravo iudicio usus. Paulum infra in eodem fragmento Enniano Vindobonensis *haec effatus pater*, quam scripturam quae vera est in Erlangensi importunus librarius sic corrupit *haec pater effatus.*

Aphaeresim autem *est* verbi (nam secundae personae nisi fallor nullum extat in Annalibus exemplum) semper etiam sine libris expressi scriptura. Itaque *flexast*, *temerest*, *gestast* scripsi; et *portust*, quod coniectura adieci. Apud Gellium enim N. A. VI, 6, 6. corruptelas quasdam quae vulgabantur emendavi in hunc modum *Cur autem non Q. quoque Ennium reprehendit*, *qui in annalibus*, *non pennas Daedali*, *sed longe diversius Brundisium* , *inquit*, *pulchro praecinctum praepete portust.* In Vaticano enim qui veterum librorum unus ut dixi praesto est ad hunc locum *Braundisiū quid pulcro p̄cinctum p̄pete portus.* Ac *portus* quidem e *portust* corruptum mendo frequentissimo, de quo vide Ritschelii Proleg. in Plauti Trinummum p. CVIII. neve haereas in eo quod huic voci nec *praecinctum* potius verbo *est* vocula adnectatur, vide eundem Ritschelium l. l. p. CVII.

Idem institui in verbis consonanti terminatis velut in his quae in *s* litteram desinunt *datust*, quamvis apud Festum p. 178, 12. sit *Hic occasus datus est*, *at Oratius inclutus saltu. is dictust ollis popularibus olim* apud Ciceronem in Bruto 15, 57. et Gellium N. A. XII, 2, 3. Tertium editoris Lipsiensis temeritati debetur p. 151. *Invictust canis*, qui quidem *invic-*

tus 'st scribit. Nec enim temptandum fuit *invictus* quod Festus tradidit p. 321, 1.

Reieci porro constanter aspirationis usum, ab Ennio, quod Ciceronis testimonio in Oratore 48, 160. constat, alienum. Quare *Burrus*, *triumpo*, *pulcer*, *sepulcro*, alia posui. *hau* pro *haut* vel *haud* ante *t* et *d* litteras exemplo Ritschelii (cf. Proleg. in Plauti Trinummum p. XCIX.) invitis libris scripsi. A librorum autem auctoritate omnino pendere volui in eo genere quod praepositionum assimilatione quam dicunt continetur quamquam non assimilatas formas paulo cupidius meo iure videor arripuisse. Item libris obtemperans tuitus sum haec minus vulgaria *hiemps*, *clepeus*, *conicit*, *inicit*, *is* pro *es* non in accusativo tantum sed etiam in nominativo et vocativo multitudinis, velut *Quiritis*, *fortis, omnis mortalis.* Etenim ad solum accusativum tantum abest, ut haec terminatio pertineat, ut quod fide Ritschelii dico veterum inscriptionum documentis plurimis prorsus contrarium evincatur. Denique *ei* terminationem nominativi pluralis pro *i* integram quidem libri non servarunt in his fragmentis; sed e vestigiis certissimis cum alii restituerint, velut *hortantur ibei sos* pro *hortanturbe sos* apud Festum p. 301, 11. M., *scuteis* ex his Gellii (N. A. XVI, 10, 1.) corruptelis *sicuti isque*, *sicut usque* elicuit Gronovius, tum ipse suscitavi in his *quorum virtutei belli fortuna pepercit*, cum Ciceronis libri de officiis I, 12, 38. *virtute* exhibeant, nisi id e versu proximo huc irrepsisse mavis. *caedei* cum Festus p. 356, 10: *ferro se caede quam dictis his toleraret.* *queis* pro *quas* apud Varronem de lingua latina VII, 71. in hoc versu *decem coclites quas montibus summis Ripeis fodere.* Quae forma, non diversa quidem a *ques* haud scio an etiam in Catonis fragmento in Servii Arte Gramm. p. 506 Lindem. *si quies sunt homines* lateat. *insigneita* pro *insignata* apud Priscianum I, 7, 38. p. 556 P. denique dubium non est quin pro *Fauni et vatesque* apud Varronem de l. l. VII, 36. M. reponendum sit id quod editores fugisse mirere *Faunei vatesque.* Tantum de rebus grammaticis.

Relicuum est ut *de* g e n e r e m e t r i c o p r o s o d i a c o-

que dicam; in quo complectar etiam quae alii expedierunt non sine fructu, ut puto, quoniam exemplis omnibus uno conspectu propositis recte demum quid in his rebus Ennio licuerit, quid non licuerit perspicitur.

Atque hiatum ut hinc exordiar Ennius raro sibi nec nisi certis condicionibus indulsit. Cuius unum exemplum a Cicerone in Oratore 45, 152. traditum *Scipio invicte*, in quo cum hiatu ultima creticae vocis syllaba correpta est legitime cum Ritschelius tetigit in Proleg. ad. Plauti Trinumm. p. CXCVIII. tum Lachmannus ad Lucretii librum VI, 743. disputavit et cum similibus Lucretii aliorumque composuit.

Alterum exemplum simile in editione Lipsiensi extat p. 82. Nec enim vel editorem Lipsiensem aut eum quem sequitur Lautium ad Orosium IV, 1. credo hos versus

Qui ante hac invicti fuvere viri pater optimi Olumpi
Hos ego in pugna vici victusque sum ab iisdem *).

ita metiri voluisse ut illi visi sunt Naekio opusculorum I. p. 212. Cuius vera haud dubie sententia est ad Annales pertinere illos versus, quos fuisse saltem hexametros *mitigatos* fortasse a Livio arbitratur: nam illud quidem ineptissimum est quod Lorentzium quendam in scholae Luccaviensis programmate a. cIↃIↃcccxLI de rebus Tarentinorum p. 12. contendisse video, versus illos et Saturnios esse et Ennii Annalium. At tamen mihi parum placet ille hiatus *Hos ego in pugna*, cui aegre possis eam quam priori exemplo excusationem adhibere. Quamquam hoc quod e Pauli Diaconi qui fertur Historia Miscella II, 16. p. 785. ed. I. Gruter. Naekius protraxit *Hos et ego in pugna vici victusque sum ab isdem*, coniecturae videtur mihi quidem deberi, parum probabili si Lachmannum audis qui ad Lucretii librum VI, 52. coniunctiones quae sunt *et que*, ita inter se coniunctas, ut altera alteri ordinata sit, non esse antiquae consuetudinis praecepit. Quid igitur? an Ennius haec scripsit *Hos et ego in pugna vici et victus sum ab eisdem*,

*) *iisdem* duabus syllabis effert editor Lipsiensis ut p. 36, *cum Diis genitalibus aevum* et p. 37. *custodem dii genuerunt.*

sive *victus sum ab isdem*, admisso alio hiatu, quem quidem ne Lucretius quidem reformidavit velut III, 1082. VI, 276. Sed priorem ut hoc addam versum editor Lipsiensis septem pedibus comprehendere non dubitavit. Quem tamen non probo quod dispesci versum hoc modo *qui antehac Invicti* iussit in Additamentis p. 215. Nec enim Ennium quoniam graecum distichon convertit latine credibile est duorum versuum terminos migravisse. Mihi nihil nunc quod certum sit in mentem venit; quamquam non improbabiliter fortasse sic coniicias *qui antehac fŭere invicti pater optume Olumpi*, quoniam hic ordo verborum est in Parisiensi 1510. et Coloniensi Io. Caesarii 1536: aut quod olim Heynius quoque in Opusc. acad. II. p. 230. suspicatus est *qui antehac invicti fuerunt pater optume Olumpi.* Minus probaverim tertium quod est in Gruteri quam laudavi Historia Miscella *qui invicti ante fuere viri pater optime Olympi.*

Alterius hiatus qui fit in vocabulis *m* littera terminatis, certa duo sunt a Lachmanno in Lucretio II, 466. notata exempla: *Dum quidem unus homo*, *Romanus toga*, *super escit* et *Insignita fere tum milia militum octo;* incertum quod tertium Kochius adiecit Exerc. p. 7. *ager imbrium oppletur fremitu.* Qui versus cum ab Servio Georg. I, 12. sic exhibeatur: *ager oppletus imbrium fremitu* ne littera quidem mutata dimetiri mensura trochaica licet in hunc modum *ager opplétus ímbrium.* Quam quidem rationem si quis parum probaverit propterea quod quem cum illo Servius coniunxit versiculum *fremebat imber Neptuni* non possit non Annalium esse, licet ascito *imbrum* genetivo quo Ennius potuit quidem non minus quam a Charisio p. 114. P. testata *partum* forma uti, non improbabiliter sic emendare *ager oppletust imbrum fremitu.*

VITA SCRIPTORIS.

Natus sum Bonnae a. CIƆIƆCCCXXX patre *Dominico Ignatio*, matre *Anna* e gente *Fassbenderiana*. Inde ab duodecimo aetatis anno in gymnasio Bonnensi per sexennium cum aliorum praeceptorum egregiorum tum inprimis *Ludovici Schopeni* et *Guilelmi Reinkensii* praeclara usus sum disciplina. Auctumno anni CIƆIƆCCCXLVIII maturitatis testimonio munitus adii hanc almam academiam Rhenanam, litteris philologicis totum me deditururus. Per quadriennium igitur prodocentes audivi viros clarissimos *Bernaysium*, *Brandisium*, *Delium*, *Knoodtium*, *Loebellium*, *Ritschelium*, *Ritterum*, *Schopenum*, *Welckerum*. Quibus viris omnibus egregie de me meritis cum gratias ago quas debeo maximas, tum non possum non cum singulari gratissimi animi significatione omne genus beneficiorum commemorare quo me cumulaverunt triumviri praestantissimi *Ritschelius*, *Schopenus*, *Welckerus*. Praeterea seminarii philologici exercitationibus per quattuor annos interfui, per haec tria semestria senior. Cuius institutioni egregiae praesertim debeo, si quid in his litteris profecisse existimabor.

Themata.

1. *In critica arte factitanda summa dux sequenda est ratio.*
2. *Epicharmus Ennii non fuit carmen πολύμετρον.*
3. *Aristoteles Rhetoricam duobus libris comprehendit, tertius qui fertur est liber περὶ λέξεως.*
4. *Naevius scripsit praetextas.*
5. *Plutarchi Moral. p. 59. A. 5. sic emendo οὐ τοίνυν οὐδ' ἄνθρωπον ἄτοπος ἂν εἴη ἐπαινῶν, εἴ τις ἐπαινούμενος ὠφέλιμος ἔσται καὶ πάμφορος.*
6. *Versus Ennianus qui est apud Varronem de l. l. VII, 46. M. coniecturis corrumpitur.*
7. *Quae in Aristotelis Ethic. Nicom. p. 201, 20—32. ed. min. Bekk. vulgantur, spuria sunt.*
8. *Falsum est Niebuhrii de Herodoto Choerili Samii imitatore iudicium.*
9. *Vergilii Aen. IX, 764. reponendum est tergus.*
10. *Nullius fidei est librorum Plutarcheorum qui vulgatur catalogus.*
11. *Scripsit Ennius Medeam Atheniensem.*
12. *Non multa ingenii lumina cur Lucretio tribuerit Cicero, non recte Lachmannus diiudicavit.*